



1735, 26

37

22

FACULTATIS JURIDICÆ
 DECANUS,
 JO. PHILIPPUS
 Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
 ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-
 RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad dict. L. 18. de transact.

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
 AD DIEM XIV. DECEMBR. MDCCXXXV.
 LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME
 INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

quaedam de criminibus publicis



Delictum à derelinquendo dictum est: qui enim delinquit, prætermittit ea, quæ prætermittere non debebat, vel committit talia, quæ docebat intermittere. Synonyma delicti varia occurrunt; vocatur enim quandoque maleficium: nonnunquam flagitium: passim crimen: frequenter scelus: alicubi facinus: alibi peccatum: quæ voces promiscuè accipiuntur, & passim in jure nostro confunduntur. Ut patet ex *L. 5. princ. Cod. ad L. Jul. Majest. L. 6. Cod. ad L. Jul. de adult. L. 1. Cod. de fals. monet. L. 4. L. 16. § 22. Cod. de quest. L. 22. Cod. de pœn.* Definitur delictum à variis variè. A quibusdam hoc modò, quod sit *factum aliquod turpe, quo quis contra jus læditur dolo culpâve alterius.* Seu est *factum illicitum, quod lege humanâ meretue pœnam.* Ita *Vinnius ad princ. inst. de obligat. quæ ex delict. nasc.* § *alii.* Multis tamen hæc definitio displicet, dantur enim delicta, quæ in omittendo consistunt: ergo

go delictum in genere non bene definitur esse factum illicitum. Si dicas, sub facto etiam non factum comprehendi, hoc ipso fateris, dictam definitionem æquivocationi esse obnoxiam, adeoque non subsistere. Alii alias delicti definitiones adornant, & definiunt hoc modo; *Quod sit libera, & exterius sensibilis transgressio legis Divinae & humane.* Dicitur etiam delictum aliud *ordinarium*, cui certa pœna à legibus constituta est, aliud *extraordinarium*, cui pœna pro modo delicti ex arbitrio iudicis imponitur. Ordinaria delicta seu publica ex eo sic dicta, quidam volunt, quod accusatio eorum cuius è populo plerumque detur, sed hæc potius descriptio, seu vocis explicatio est, quàm vera definitio, reperiuntur enim delicta publica, quo accusatio non cuius è populo permessa est. Quamvis igitur regulariter crimina publica accusari à quovis possint: ex eo tamen non æstimantur. Nam si lex specialis suppetat, quæ certam formam & pœnam crimini præstituat, id erit publicum, esto accusari à quovis nequeat. Alii itaque crimen publicum hoc modo definiunt: *Est delictum, quod speciali lege publicum effectum est.* Quapropter intrinsecè, & suapte

suapte natura nullum crimen est publicum, sed recipit denominationem hanc à formâ extrinsecâ, puta dispositione legis, facinus aliquod in classem delictorum publicorum referentis. Hinc licet crimen aliquod suapte natura sit valdè atrox, si tamen lex nulla suppetat, quæ incensum delictorum publicorum id referat, non censetur publicum. Hoc est vel capitale, pro quo imponenda venit pœna sanguinis, vel non capitale. Utraque ut justa afficiantur pœna Reipublicæ interest, & pœnas pro maleficiis solvi magna suadet ratio *L. si à reo. 70. §. id quod. ff. de fidejuss.* Cavere tamen debent tribunalia, ne vel modus & discretio in adhibendis pœnis excedatur. Hinc si reus voluntati Legis vel iudicis satisfecerit, ac pœnam sententiâ comprehensam sustulerit, iniquum esset, reum ob idem facinus bis castigari. *arg. L. 17. ff. de injur.* Insuper tempus lapsum quandoque attendere debent, lapsu enim viginti annorum crimina perimuntur, quæ ad tempus brevius constitutione speciali coarctata non sunt. *L. 12. Cod. ad L. Cornel. de fals. L. 2. §. 3. ff. de requir. vel absen. damn.* Quemadmodum enim in causis civilibus præscriptio temporis visa est necessaria,

ria, ne lites evaderent immortales, ac bona civium in perpetuo discrimine versarentur: ita eadem præscriptio visa est necessaria in causis criminalibus, ne horrida vox accusatoris absque cessatione tribunalibus obstreperet, ac qui fragilitate humanâ in scelus prolapsi sunt, inter sæcillum & saxum continuò penderent. Sunt equidem, qui in diversum abeunt, volentes dari crimina quædam, præscriptione vicennaria non subjecta. In quem classem referunt Parricidium, per textum in *L. ult. ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* ubi accusatio parricidii semper permitti dicitur. Crimen suppositi partus, per textum in *L. 19. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de fals.* ubi accusatio suppositi partus nullâ temporis præscriptione depelli asseritur. Et apostasiam, per textum in *L. 4. Cod. de Apostat.* ubi indagatio criminis hujus nullo tempore dicitur arceri. Sed civiliter in exaudiendum, & cum relatione ad alia crimina, quæ breviori temporis spatio circumscripta sunt. Quæ sententia ideo videtur præferenda, quia & benignitate blanditur, & valdè consulit salutis publicæ. Si enim sciant noxii, accusationes criminum esse immortales, metu incumbentis vindictæ deterriti, ac

in desperationem versi, vix, ac ne vix quidem
respiscunt. Quod si spem habeant, fore, ut de-
cursu vicennii liberentur, modis omnibus stu-
debunt, ut tempus illud verecundè transigant,
ne per occasionem improbitatis alicujus in su-
spicionem commissi criminis deducantur. *An-
ton. Matth. de crim. tit. 4. cap. 4. n. 2. sqq.* sunt et-
iam alii modi, quibus delicta vel extinguuntur;
vel minuuntur, inter quos etiam refertur Transac-
tio, si enim fur cum parte offensâ de damno
transegerit, tunc non pœna ordinaria, sed arbi-
traria & mitior locum habet, quia furtum hodie
in censum pertinet criminum capitalium, de qui-
bus licet transigere. *L. ult. Cod. de transact.*
Quamvis enim pactione privatâ coercitio pu-
blica non tollatur, neque transactione crimen
ita perimatur, ut repeti reus à magistratu ne-
queat. *L. 2. Cod. de abolit. L. 7. §. 14. ff. de
pact.* Attamen, cum suum recipere videatur
dominus, qui de furto transigit, adeoque cesset
damni gravitas, etiam pœnæ atrocitas cessare
debet. *arg. Const. Crim. artic. 160.* Trans-
actionem etiam super criminibus capitali-
bus sive sanguinis pœnam inferentibus, ju-
ra nostra licitam pronunciant, nec pro con-
fesso

fesso habetur transgens, quia lex habet honestam quamcunque viam expediendæ salutis sanguinisque redimendi. Excipitur crimen adulteri. *L. Transigere 18. Cod. de transact.*
Quam pro lectione cursoria elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. CHRISTIANVS JACOBVS
Leberecht GOESCHEL,

Natus 24. Maji An. M DCC IX. Ederslebiae Patre adhuc vivente Dn. M. CHRISTIANO Leberecht GOESCHELIO, ejusdem loci Pastore, & Sangerhusanæ Inspectionis Subseniore. Matre ANNA ELISABETHA, filiâ Senatoris B. GEBECKII. Schola Sangerhusana cum prima rudimenta docuit. Postea frequentavit Querfurtensem sub M. ADAMO ROEDERO. Absolutis studiis scholasticis, Wittebergæ celeberrimos Dominos Professores LEVSERVM, MENCKENIVM, & WERNHERVM audivit. Halæ postea collegia Dominorum Professorum BOEHMERI, FLEISCHERII & LVDWIGII collegia frequentavit. In Patriam reversus in praxi se exercuit. Tandem à Facultate
Juri-

14
Juridica hujati ad rigorosum Candidatorum
examen admitti petiit, admissus textus ex utro-
que jure resolvit, & ad quæstiones propositas
ita respondit, ut ad ulteriora specimina ei via
aperta fuerit. Lectionem itaque cursoriam ad
dict. L. 18. de transact. proximâ die Mercurii
14. Decembr. horis consuetis eaque finitâ di-
sputationem inauguralem

DE
ADVOCATO PRÆVARI-
CATORE

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus
Dominus Rector, nec non Domini Proceres &
Cives Academici humaniter invitantur. Pu-
blicatum sub Sigillo Facult. Juridicæ XI. De-
cembr. M DCC XXXV.

P. 123.



Engelst, Diss., 1735

ULB Halle

005 367 840

3





Inches

Centimètres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1735, 26 37
29

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JO. PHILIPPUS
Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM
ad dict. L. 18. de transact.

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AD DIEM XIV. DECEMBR. MDCCXXXV.
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME
INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

quædam de criminibus publicis.